

## 21 Buch 6 Caesar


[21] 1 Germani multum ab hac consuetudine differunt.

Nam neque druides habent,

 qui rebus divinis praesint,

neque sacrificiis student.

2 Deorum numero eos solos ducunt,

 quos cernunt

et quorum aperte opibus iuvantur,

Solem et Vulcanum et Lunam,

reliquos ne fama quidem acceperunt.

3 Vita omnis in venationibus

atque in studiis rei militaris consistit:



ab parvulis labori ac duritiae student.

Qui diutissime impuberes permanserunt,

4 maximam inter suos ferunt laudem:

hoc ali (staturam,

ali (vires nervosque confirmari) putant.

5 Intra annum vero vicesimum feminae notitiam

habuisse in turpissimis habent rebus;

cuius rei nulla est occultatio,

quod et promiscue in fluminibus perluuntur

et pellibus aut parvis renonum tegimentis utuntur

magna corporis parte nuda.